



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Institutiones Canonicae Sive Ivs Ecclesiasticvm**

**Wiestner, Jacob**

**Monachii, 1705**

Titulus II. De Cohabitatione Clericorum & Mulierum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62668](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62668)

cessarioium vel tabernariorum officia publicè & personaliter exercentes, si nominatim, seu propriis nominibus expressis, & tertio moniti ab iis non desistant, eave resumant, privilegia clericalia amittunt: Conjugati quidem omnino, hoc est, utrumque, tam Canonis quàm Fori, privilegium, quibus aliàs gaudent clerici, qui cum una eaque virgine contraxerunt, *c. Unic. de Cleric. conjug. in 6.* non conjugati clerici verò solummodo quoad res: nisi incedant ut laici; ita enim incedentes illis excidunt etiam quoad personas; ut coram seculari magistratu valeant conveniri, eosque percipientes excommunicationem Canonis non incurrant, ex decreto Concilii Viennensis *Clement. 1. relatò, Suarez de Censur. disp. 22. f. 1. à n. 14. Molina cit. disp. 54. à n. 6. & Palao Tract. 29. disp. 3. p. 23. §. 1. à n. 8.*

60. Dubium est, an clericus in Sacris jocularorem, lanionem &c. insuper habità Ecclesiæ monitione, agere pergens & incorrigibilis Fori privilegium amittat ipsò Jure. Ratio dubitandi est; quòd

clerici in sacris Fori privilegium non amittant, donec eò à iudice Ecclesiastico per sententiam denudentur, *arg. c. Cum non ab homine 10. de Judiciis*, ubi clerici omnino incorrigibiles magistratui seculari traduntur; non ab isto, quasi ipsò Jure privati, statim apprehenduntur. Unde ad ejusmodi privationem judicis sententiam exigunt Suarez *Lib. 4. Defens. Fidei cap. 17. n. 24.* & Laiman *Lib. 1. Tract. 5. p. 2. cap. 5. n. 4.* Sed contra apertum Jus, si condemnationem requirant; cum eos ipsò Jure, sicut reddi infames, sic omni privilegio clericali excidere, *c. 1. cit. junctà Glosà V. Careant, & Clement. 1. cit. id amittere eò ipsò sive ipsò factò, verbis ipsò Jure infictam privationem denotantibus, asserantur, Pirrhing ad hanc Rubric. n. 32. not. 4. & Palao cit. disp. Unic. p. 6. n. 5. rectè monens; ut in hujusmodi clericum tanquam suæ jurisdictioni subditum curia secularis procedere valeat, opus esse sententià declaratorià incorrigibilitatis, arg. c. Cum secundum 19. de Hæret. in 6.*



## TITVLVS II.

### De Cohabitatione Clericorum & Mulierum.

#### SUMMARIUM.

1. Clericis interdicta est habitatio cum fœminis:
2. Non quibusvis, sed suspectis,
3. Sub variis penis, prodiis Jure antiquò,
4. Ipsi concubinarum dimissionem sine abjuratone indicente.
5. Pena in beneficiatos ac pensionarios,
6. In alios clericos concubenarios,
7. Et ipsos Episcopos latè novissimò Jure Tridentini:
8. Quòd

8. Quod hodie observandum est,
9. Etiam in clericos indulgentes fornicationi.
10. Eò tamen lata pœne serè exigunt criminis declarationem.
11. Clericus concubinaris occultus quoad se:
12. Notorius etiam quoad alios suspensus est:
13. Non tamen propriè dictà suspensione.

I. **D**E incontinentiæ vitio, vitæ Honestati præ aliis repugnante, suspectam reddere clericorum vitam solent confortia & familiaritas mulierum: à quibus proinde & periculo lapsis ut remotiores sint, mulieres saltem eas, de quibus suspicio esse solet, ut sunt extraneæ juvenes, Glossa in can. Volumus 22. V. Eòdem dist. 81. in domo sua vel extra eam detinere, & cum ipsis ullam consuetudinem habere prohibentur, can. Interdixit 16. dist. 33. can. Cum omnibus 25. Sc. cit. dist. 81. c. A nobis 9. hic & à Trident. Sess. 25. cap. 14. de Reformat.

2. Interdicta tamen ipsis non est cohabitatio cum aliis mulieribus non suspectis: cujusmodi cenentur imprimis personæ primò vel secundò consanguinitatis gradu conjunctæ, puta matres, aviæ & materteræ, amitæ, sorores, filia fratrum & sororum, can. Interdixit 5. can. Cum omnibus cit. & uxores filiorum, in quibus naturale fœdus nihil sævi aut fœdi criminis suspicari permittit, c. A nobis cit. Deinde, quæ de hujusmodi mulierum conjunctarum familia sunt, velut famulæ & pedissequæ & uxores servorum, c. Cum omnibus cit. Et demum aliæ fœminæ ætate provectiores, Vallens. & Pirrhing ad hanc Rubric. uterque n. 1.

Si tamen etiam hujusmodi mulie-

res; quarum cohabitationem sacri canones aliàs clericis permittunt, lubricæ & incontinentis vitæ suspensionem & scandalosi occasionem præbeant, earum etiam cohabitatio, clericis interdicta est c. 1. non ex Moguntini, ut habet Vulgata, sed Nannetensis Concilii can. 3. in Decretales translato, ut eruditè ostendit Gonzalez in c. cit. n. 1. Ratio prohibitionis est; quòd inventi sint, qui diabolicâ suggestione incestus & stupra commiserunt, Navarrus Comment. 4. de Regular. n. 65. & Barbosa n. c. 1. cit. n. 4.

Pœnæ autem in clericos, suspectis mulieribus contra SS. Canonum præscriptum cohabitantes, veteri Jure proditum permittæ: in iisque infligendis ordo non semper idem, & præ aliis contentaneus rationi & Praxi accommodatus est, vi cujus concubinari in Sacris constituti, si moniti concubinam non dimitterent, à beneficiis Ecclesiasticis suspendi eorumque fructibus privari, c. Clericos 3. Si post tertiam monitionem illarum commercium & conversationem non desererent, omnino excommunicari, c. Si quisquam 2. & si ita censurati necdum relapsissent, ab ipsis beneficiis perpetuò removeri debebant, c. Sicut 4. ut ita, crescente delinquentis contumaciâ & culpâ, etiam pœna augeretur, c. fin. in fine, ut lite non contest. Et Relegati 4. ff. de Panis, Glossa fin. in c. cit.

Ad abjurationem tamen concubinarum, si vearum dimissionem cum juramento præstando de illis non recipendis, clericos compelli vetuit Alexander III. c. Clericos cit. eâ ductus ratione; quòd ex una, juramentum sit remedium subsidiarium, hoc est, quod non adhibetur, nisi deficientibus aliis mediis, æquè commodis & efficacibus ad propositum finem obtinendum, præsertim, cum subest periculum

culum perjurii facile incurrendi, *c. Etsi Christus* 26. V. Sic & *juramentum, de Jurjurando*: ex altera verò parte, alia remedia eos à concubinis abstrahendi æquè comoda & efficacia sint suspensio, depositio &c. quæ proinde laudat? Papa meritò prætulit abjuratori, ad perjurii verifimiliter incurrendi periculum evitandum; cum durum sit assuetæ relinquere, præsertim vitia carnis, ob magnam istius fragilitatem, *can. 1. dist. 34.*

Neque cum his pugnat; quòd clerici in sacris constituti uxores, quibuscum matrimonium sacrilegè de factò contraxerunt, abjurare cogantur, *can. Ab isto* 35. q. 6. & *c. Ex literarum* 2. *Qui clerici & vovent.* & *c. Ad abolendam* 9. de *Hereticis*, abjuratio hæresis præcipiatur, perjurii periculò non obstante; quia priori textu agitur de matrimonio, quòd, sicut consensu temerè est contractum, *l. Nuptias* 30. ff. de *R. I.* sic distrahi dissensu debet, *arg. c. 1. de R. I.* de vero autem consensu & dissensu interno, sicut & de deposita hæresi, quæ error intellectus est, constare Ecclesia vult: & nullò modo meliùs, quàm delatò & præstitò juramentò, potest, *Barbosa in c. Clericos cit. n. 3.* ex doctrina *Navarri Manual. cap. 12. n. 2.* *Covarruviz in c. Quamvis de Pactis in 6. p. 1. §. 6. n. 2.* & *Suarez Lib. 3. de Juramento cap. 14. n. 10.*

5. Eosdem concubenarios, aliòsque turpiter & scandalosè viventes clericos puniri etiam præcipit S. Synodus Tridentina *Sess. 21. cap. 6. & Sess. 25. cap. 14. de Reformat.* Et priori quidem decretò eos monitos coerceri jubet: & si non respiciant, juxta sacrorum Canonum Constitutiones, beneficiis privari. Posteriori verò sive *cap. 14. cit.* novam, eamque valde accuratam in ipsos procedendi formam præscribit. Et primò quidem clerici quicumque, tam minorum

quàm majorum Ordinum, beneficia vel pensiones Ecclesiasticas obtinentes, si concubinas vel alias suspectas mulieres in domo vel extra detineant, & primò moniti (monitione speciali in personam: non solum generali per edictum, ut à S. Congreg. Cardinal. declaratum, perhibet *Garcias p. 11. de Benef. cap. 10. n. 186.*) ab iis non abstinuerint, ipsò factò privati sunt tertià parte fructuum, obventionum, ac proventuum quorumcunque suorum beneficiorum & pensionum: quæ Ecclesiæ fabricæ, vel alteri pio loco arbitriò Episcopi applicetur.

Ab hujusmodi clerico, post primam monitionem concubinam detinente, cum tertià parte fructuum & obventionum etiam quotidianarum distributionum, à Præbendæ fructibus distinctarum, tertiam partem amitti, cum *Riccio in Praxi decis. 307. n. 5.* & *Moneta de Distribut. p. 3. q. 10. n. 56.* existimat *Barbosa in c. Sicut 4. n. 5.* Sed; cum versemur in materia pœnali, *arg. Reg. Odis 15. in 6.* non displicet negativa, quam tenet & declaratione firmat *Garcias cit. n. 186. V. Nona.*

Si ejusmodi clerici, alterà hac monitione insuper habità, cum eadem vel alia fœmina perseverent, eò ipsò amittunt fructus & proventus omnes, prædictis piis locis applicandos: atque insuper à beneficiorum suorum administratione, quamdiu Ordinario videbitur, suspendi debent. Quò factò amittunt etiam distributiones; quia Divinis Officiis in choro assistere, & quidem suà culpâ & malitià non possunt, *Garcias l. cit.*

Si ita suspensi nihilominus concubinas non expellant, aut cum iis etiam versentur, beneficiis, pensionibus & Officiis Ecclesiasticis quibuscunque perpetuè privari: atque insuper ad ea, & ad honores ac dignitates quascunque inhabiles

biles reddi jubentur, donec post manifestam emendationem eorum superioribus cum illis ex causa videatur dispensandum. Denique, si etiam sic puniti à scandalosis hujusmodi commerciis non destiterint, sunt excommunicandi.

6. Secundo clerici, beneficia aut pensiones Ecclesiasticas non habentes, juxta delicti & contumacia perseverantiam & qualitatem poenae carceris, suspensione ab Ordine, inhabilitate ad beneficia, aliisque modis juxta sacros Canones puniri jubentur.

7. Tertio Episcopi, si à tali crimine non abstineant, & à Synodo Provinciali moniti, se non emendent, ipsò factò sunt suspensi: & si perseverent, deferendi ad summum Pontificem, qui pro qualitate culpae etiam per privationem, si opus erit, in eos animadvertat.

8. Atque hæc S. Synodi in clericis concubinariorum decreta poenalia hodie potissimum sunt observanda, arg. c. 1. de *Constit. in 6. § 1. Sed & posteriores 28. ff. de LL. utque ea districtè observari faciant Dioecesum Ordinarii, Pius V. Constit. 1566. edità in virtute sanctae Obedientiae præcepit, Gutierrez Lib. 2. § 2. Canon. cap. 7. n. 68. qui tamen n. 77. cum cit. Garcia n. 186. probè advertit, Clericos, si ante primam monitionem specialem deliquerint, quòd Jure damnatum crimen commiserint, impunes esse nequaquam oportere: sed arbitrio judicis Ecclesiastici pecuniaria, incarcerationis, suspensionis vel alia mitiori: aut, si inveterati vel notorii delicti ex eòve secuti scandali gravitas exigat, graviore poenà secundum sacros Canones vel recepta statuta & consuetudines Dioeceseanas plectendos juxta ea, quæ tradit Panormit. in c. At si clerici 4. de *Judiciis* n. 35. Ex dictis*

9. Dubium oritur primò, an prædi-

ctæ poenae locum habeant in simplicifor-  
nicatione sine qualitate concubinatùs, si-  
ve absque assiduitate consuetudinis &  
commercii carnalis cum muliere soluta,  
domi & extra retentà instar uxoris. Ne-  
gativam cum Garcia l. cit. id decisum  
attestante, tenent Farinacius *Prax. Crimi-  
nial. q. 138. n. 12.* & Barbosa in c. *Si-  
cut cit. n. 4.* quòd Tridentini decretum,  
tanquam poenale & odiosum, non ad-  
mittat extensionem, arg. *Reg. Odia 15. in 6.* Quòd licet ita sit, pro Affirma-  
tiva tamen stat Praxis plurimum Germa-  
niæ nostræ Curiarum Episcopaliùm, ita  
ferè in clericis fornicarios procedentium.  
Neque Praxis ista aliena est à decreto Tri-  
dentini, clericis prohibente detentionem  
non solum concubinarum, sed aliarum  
quoque mulierum suspectarum, & cum  
iis, scilicet concubinis vel aliis mulieribus  
suspectis ullam, adeoque etiam for-  
nicariam tantum consuetudinem habentes,  
memoratis poenis obnoxios reddente,  
ut observat Engel ad hanc Rubric.  
n. 3. & Wagnereck in c. *Si autem 6. not. 3.*  
Unde locus non est Regulæ cit. 3  
quia poenali decreto Tridentini clerici  
fornicarii sine extensione comprehen-  
duntur.

Dubium secundò est, an poena pri-  
vationis à Concilio inflicta à clerico con-  
cubinario ita incurrat, ut fructus ami-  
ssos statim & ultrò restituere teneatur.  
Qua in re cit. Garcia n. 190. & Farina-  
cius n. 66. veriùs eum ad hoc obligari  
negant, antequam criminis concubina-  
tùs reus per sententiam declaratur. Hæc  
tamen sententia, quoad restitutionem  
fructuum, ad criminis commissi tempus  
retrotrahitur. Ratio resolutionis est;  
quòd de facto præter censuras, irregu-  
laritates, & amissionem juris exigendà  
debitum carnale conjugii incestuoso infli-  
ctam, c. 1. *De eo, qui cognovit &c.* vix  
ulla,

illa, imò spectatà saltem consuetudine, nulla pœna sit, quæ re sive jure quæsitò ita privet; ut sententia saltem criminis declaratoria nequeat expectari, ut *arg. r. Cùm secundùm 19. de Hæret. in 6. docet Covarruv. de Sponsal. p. 2. cap. 6. §. 8. n. 8. & 10. & Lib. 5. tit. 37. an. 13. plenius statuetur.*

In proposito etiam casu ejusmodi sententià declaratorià opus esse, teste *cit. Garcia* liquet ex praxi clericorum concubinariorum, fructus nunquam restituentium, priusquam concubinatus rei declarentur: & non obscure colligitur ex ipso S. Synodi decreto, fructus ipsò Jure amissos fabricæ Ecclesiæ, vel alteri pio loco applicari præcipiente *Arbitriò Episcopi*, utique clericum criminis reum prius declarantis, ut notat *cit. Engel n. 4. in fine.*

11. Dubium est tertid, an clericus concubinarium & fornicarium notorius ipsò Jure sit suspensus. Qua in re facile convenit inter DD. quoad se, sicut quemlibet alium mortalis peccati conscium, sic etiam notorium, imò & occultum concubinarium ipsò factò suspensum esse, suspensione improprie dictà: quæ, licet censura non sit, ante peractam tamen poenitentiam illicitam reddit Sacramentorum administrationem & perceptionem, ut clarè habetur *e. fin.*

12. Quoad alios etiam concubinarium & fornicarium, saltem notorium, ipsò Jure esse suspensum, ut celebrandò Missam, aliorumque Ordinum actus proprios exercendò irregularis fiat, cum Panor. *mit. in c. Vstra 7. sustinet Clarus §. Formicatio n. 4. & Azor p. 1. Instit. lib. 6. cap. 7. q. 5. Moventur can. Hi qui sunt 25. dist. 81. & can. Præter hoc 1. dist. 32. quorum priori hujusmodi clericus interdicitur ingressu Ecclesiæ: posteriori concubinari Missa audiri prohibetur:*

& præsertim *e. fin. cit. verbis, Quæritur ad alios suspensus non est, nisi peccatum hujusmodi notorium sit per sententiam aut confessionem judicialem vel evidentiã facti, quod nullà tergiversatione possit celari.* Eidem Opinioni favet decisio, cujus meminit Barbosa in Trident, *cap. 14. n. 17.*

Nihilominus, ab ejusmodi concubinario aut fornicario, etiam notorio, suspensionis veram censuram saltem hodie incurri, cum Covarruv. in *Clement. Si furiosus p. 1. §. 1. n. 5. negant Gutierrez cit. cap. 7. n. 85. Garcia p. 7. de Benef. cap. 7. n. 19. Suarez de Censuris disp. 31. f. 4. n. 10. & alii, id rectè desumunt ex usu seu consuetudine Ecclesiæ, ejusmodi suspensionem non agnoscunt. Id ipsum non obscure supponitur à Tridentino *cit. cap. 14. præter eam, quæ contrahitur ab Episcopo post Synodi Provincialis monitionem, nullam suspensionem ipsò Jure contrahi, indicante verbis Suspendantur & Juxta sacros Canones puniantur: quæ cum sint futuri temporis, & actionem judicis denotent, à clericis beneficiatis suspensio, & à non beneficiatis aliæ quoque pœnæ veteri Jure proditæ ipsò Jure & factò non incurrentur, secundùm Glossam marg. in c. Quicumque 2. V. Immoderur de Hæret. in 6. Jure etiam antiquò suspensionem non infligendam, desumitur ex verbis, quibus ea infligenda asseritur, *e. Clericos 3. c. Sicut 4. &c.***

Neque hunc de suspensione sensum convellunt in contrarium adducti textus; quia imprimis *e. fin. cit.* Clericus concubinarium, sicut quoad se, quando delictum occultum, ita cum hoc notorium est, quoad alios suspensus dicitur non proprie, prout censura est: sed improprie dictà suspensione, prout seà denotatur simplex prohibitio ad vitandum

scandalum, quod secum trahit publicum peccatum, Gonzalez in *c. cit. n. 2.* quò sensu Abbatissa clericos suspendere dicitur, *c. Dilecta 12. de Majorit. & Obed.* Dein *can. Hi qui sunt cit.* non de suspensione sermo est: sed de interdicto, quò clerico fornicario Ecclesiæ ingressus inhibetur. Demum *can. Eòdem can. Præ-*

*ter hoc & c. Vestra cit.* clerici concubinari in Divinis, præsertim in celebratione Missæ, vitari jubentur, non; quòd malitiâ & indignè celebrantis peccatò sacrificium inquinetur, *c. cit. & Trident. Sess. 22. cap. 1. de Sacrif. Missæ* sed, ut ita à peccatis alii quidem absterreantur, ipse verò ad poenitentiam perducat.



## TITULUS III.

### De Clericis Conjugatis.

**C**um voluptatibus ac desideriis carnalibus simul & Divinis obsequiis vacare Clerici non possint, eos Ecclesia non ab inhonestis mulierum commerciis duntaxat: sed à nuptiis quoque, & aliis licito mulierum consortio censuit abstrahendos,

#### ARTICULUS I.

#### De Clericis Minoribus Matrimonia ineuntibus.

#### SUMMARIUM.

1. Clerici minores licitè ineunt matrimonium.
2. Eò tamen initò beneficia privantur.
3. Discrimen inter privationem, quæ ipso jure & per sententiam fit.
4. Clerici ductà uxore ipso jure amittunt beneficia,
5. Pensiones Ecclesiasticas,

6. Et jura ad beneficia obtinenda:
7. Nisi matrimonia invalidè,
8. Aut sponsalia solum de jure iniierint.
9. Ad beneficium cum conjugato solus Papa dispensat.
10. Clerici conjugati etiam amittunt privilegia clericatus:
11. Si tamen unam & virginem duxerint, retinent Canonis,
12. Et Fori etiam privilegium in Criminalibus causis.
13. His tamen non gaudent eorum filii & uxores:
14. Quibus mortuis ipsi recuperant privilegia amissa.

**N**on eòdem tamen rigore, neque indiscriminatim clericis omnibus connubia ab Ecclesiâ sunt interdicta; cum in minoribus Ordinibus constitutis ea quidè non denegentur, *can. Si qui 2. dist. 32. & can. Quia tua 8. V. Si qui verò 12. q. 1.* ea tamen contrahentes ad beneficia Ecclesiastica obtinenda redditi sunt inhabiles, & antè obtentis pri-